Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0001-1

SCd

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0002-7

125

SACRUM
DIVINO HONORI

SPIRITVS SANCTI

OPTIMI DOCTORIS ΚΑΙ ΦΩΣΦΟΡΟΥ
ET
DUABUS ORATIONIBUS LATINIS,
ALTERI AB
Alexandro Heinr. Hüpeden, Rottlebrod. de Spiritu S. Doctore antiquisſimo, ſapientisſimo et fidelisſimo,
ET ALTERI ABS
Heinr. Jacobo Seidlern, Schnellrod. in oraculum Divinum Joel. II. v. 28. de Spiritu S. effundendo in omnem carnem tempore N. Teſtamenti,
CRAS D. II. IVN. IPSA HORA IX. ANTEMERID.
PRAESENTE TOTO COETV SCHOLASTICO,
ET SI QVIS ALIVS MVSIS BENE CVPIENS INTERESSE DIGNATVR.
IN AVDITORIO SVPREMO HABENDIS
PRÆMISSVM
A
IOH. CHRISTIANO WEBERO, R.
P. P. NORDHVSAE D. I. IVN. CIↃ IↃ CC XXXV.

AK

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0003-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0004-8

*
* *

QVAM primum Chriſtus ſuperas remeavit ad auras
Iam tumulo vacuo, devicta morte, relicto,
Et coelum amplexus regnoque potitus herili
Demiſit terris ſanctum, ut promiſerat, ignem,
Diſcipulorum animos divinis ignibus implens.
Tempora quæ nobis iam iam rediere colenda:
Salve læta dies, qua Spiritus ille benigno
Munera ſancta tulit coelo docuitque ſalutem,
Qva nova lux ſub mente micat, qua pignora SVMMI
Corripiunt aegros moribundo in corpore ſenſus
Atque movent, flectunt, purgant, ducuntque reguntque,
Cuncti ut transforment ſe ſe in miracula rerum
Intus et immenſum ſpirent præcordia motum,
Qualis erat luſtrans terrarum HIC SPIRITVS orbem
In bis ſex linguis coeleſti ardentibus igne,
Quos piſcatores quondam, rude pectus habentes,
Erudiit multaque inſignes reddidit arte,
Ut mox ſacrarum ſcirent penetralia rerum,
Queis Euangelii ſonus emanaret in orbem,
Ad quod præſtandum ſubito evaſere magiſtri
Atque peregrinas properat fiducia in oras,
Terrarum quaſcumque vident occaſus et ortus,
Et toties ſanctum commendat ab æthere miſſum
Auctorem fidei Chriſtum vitæque Datorem.
Hic lux exoritur ſplendens, hic plurimis ignis,
Quali non cunctis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra,
Quando terrarum flammis opera omnia luſtrat
Et medium ad coeli curſu penetraverit axem,
Illum qui ſequitur præbentem lumina cæco,
Infernas mentis noctes dubioſque receſſus
Et labyrintheis evadet flexibus antra:
Nam quibus involvit tenebris hominemque coegit
Deſperare diem lapſus, quando arbore dulces
Decerpſit vetita fructus et perdidit omnes,
Quicunque a primis ortum traxere nepotes?
Hinc nil mens humana boni per ſe capit unquam,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0005-4

Cui plane caliganti quis degener error
Inſidet innataque horreſcunt pectora labe
Et dirus dominatur amor triſtisque libido,
Qua varia in peccata ruit maleſana voluntas?
Quam primum vero Divini Flaminis aura
Incipit adſpirare animo mentemque movere,
Continuo lux ſacra micat pectusque per omne
Purum agit effunditque jubar penitusque nitere
Addocet et foedas ſcelerum deponere ſordes:
Hybernum qualis tellus exuta rigorem
Et duri ſqualorem anni gelidasque pruinas,
Cum vernæ ſubeunt auræ, cum blandior æther
Indulget ſolisque novi lux aurea fulget,
Tota micat lætosque admittit florida cultus;
FLAMINE ſic SANCTO mortali ſtirpe creatis
Contingit mentis forma meliore renaſci.
Sic quoque, SANCTE DEVS, ſummo delapſus olympo,
Christi ut diſcipulos divina mente beasti,
Noſtrum haud diſſimili perfundas lumine pectus,
Ut TIBI vivamus fidei ac pietatis amantes:
Cernis, ut obducant triſtes ipſam undique nubes,
Conditur in tenebras totum caligine pectus
Et chaos antiquum terris procul atra minatur
Tempeſtas, prædata diem, quis iterque viamque
Deceptis errore malo monſtrabit et almum
Producet populo lumen per opaca vaganti?
TV, TV RECTOR eris, TV DVX, TV prævia lampas,
Quæ cæcæ reddit nitidiſſima lumina nocti,
Cuius et inſigni caligo luce coruſcat:
Namque AMOR omnipotens, LVMEN de LVMINE Sanctum
Hæc præſtare vales Divino numine ſolus.
Damnati votis, TIBI nos præconia laudis
Debita dicamus, dum ſpiritus hos reget artus.

* *
*

78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
evtl. nicht vergeben!

ULB Halle 3
002 108 178

Sb.

VD17

Rh40

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0007-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0008-0

SACRUM

DIVINO HONORI

SPIRITVS SANCTI

OPTIMI DOCTORIS ΚΑΙ ΦΩΣΦΟΡΟΥ

ET

DUABUS ORATIONIBUS LATINIS,

[illegible] ALTERI AB

[illegible] Hüpeden, Rottlebrod. de
[illegible] re antiquiſſimo , ſapien-
[illegible] imo,

ALTERI ABS

[illegible] idlern, Schnellrod. in ora-
[illegible] Joel. II. v. 28. de Spiritu S.
[illegible] mnem carnem tempore
[illegible]

[illegible] PSA HORA IX. ANTEMERID.
[illegible] D COETV SCHOLASTICO,
[illegible] MVSIS BENE CVPIENS IN-
[illegible] E DIGNATVR.

[illegible] SVPREMO HABENDIS

[illegible] RÆMISSVM

A

[illegible] TIANO WEBERO, R.

[illegible] D. I. IVN. CIↃ IↃ CC XXXV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-310022-p0009-9